



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XV. Postulástis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

De concessione prae bendae, & Eccles. non vacantis. 203

CAPITULUM XV.

Postulastis.

PARAPHRASIS.

Capitulum Ecclesiae Metropolitanae consulit Innocentium III. si praebendarum collatio ad Archiepiscopum, & Capitulum conjunctim pertineat, & praebendas ultra 6. menses vacare contingat, utrum jus conferendi pro ea vice in solo Archiepiscopo permaneat. Ad id respondet Papa, in hoc casu neque ab Archiepiscopo ad Capitulum, neque à Capitulo ad Archiepiscopum, sed ad superiorem juxta Lateranensis Concilij constitutionem devolvi collationem; praeterquam, si Archiepiscopus conferendi jus habeat cum Capitularibus, non ut Praelatus, sed ut Canonicus. Quamvis etiam in isto casu, si dolose impediatur, ne collatio fieret, dolus ei suffragari non debeat.

SUMMARIUM.

1. Beneficiorum collatio ad varios spectare potest.
2. Devolutionis materia locum non habet in casu dolosi impedimenti.
3. Episcopus ex gratia speciali etiam ut Canonicus Capitulo sua Ecclesia Cathedralis interesse potest.

Notandum primò. Beneficiorum collatio interdum pertinet ad solum Episcopum c. 3. de institutionibus. Interdum ad Capitulum solum s. ex parte 10. hoc tit. Interdum ad Episcopum, & Capitulum simul, ut hic, & in c. unico. ne sede vacante in sexto. Interdum ad Praelatum inferiorem c. ex tenore 13. hoc tit. Idque propter Ecclesiarum consuetudines, aut privilegia. At verò spectato communi jure ad Episcopum pertinet collatio, & beneficiorum institutio c. cum ex injuncto. 12. in fine de hereticis.

2. Notandum secundò. Si collatio ad Episcopum, vel Archiepiscopum, & Capitulum simul pertineat, propter negligentiam

conferendi intra tempus legitimum devolutio fit ad superiorem ipsorum, cum enim tam Episcopus, quam Capitulum in culpa, seu negligentia sit, ut ponimus, neutra pars inde commodum reportare debet; sin autem Capitulum beneficia conferre vellet, sed ab Episcopo impediretur, hoc casu non currit Capitulo tempus semestris, quò minus etiam postea conferre possit. Sicut Joann. And. hic docet circa Gl. ult.

Notandum tertio. Episcopus, si ex gratia speciali etiam Canonicus sit in Capitulo Ecclesiae suae Cathedralis, tunc duplicem personam repraesentare potest, ut quibusdam actibus Capitularibus intersit, ut Episcopus, sive Praelatus; quibusdam vero, ut Canonicus. Quòd si tanquam Canonicus intersit, non sedebit primo loco, sed post Praepositum, vel Archidiaconum secundum Ecclesiae cujuscunque consuetudinem, prout tradit Gl. in c. à collatione 11. de appellationibus in 6. ubi similis doctrina continetur, si Episcopus collationi beneficii intersit, ut Canonicus, & ab ea appellatur, ad eundem, tanquam Praelatum appellari posse, argum. L. 1. §. solent ff. quando appellandum sit. Secus autem esse, si interfuit collationi tanquam Episcopus; cum enim ipse collationem fecerit, quanvis cum Capitulo, ad eundem appellatio tendere non potest, quemadmodum nec devolutio ob negligentiam fieri ad eundem.

Notandum quarto. Si superior per dolum impediatur, quò minus inferior collationem faciat, cessare debet devolutio, ne videlicet proprius dolus alicui patrocinetur, aut ex propria iniquitate aliquis commodum ferat c. sedes 15. de rescriptis.

CAPITULUM XVI.

Cum dilecto.

PARAPHRASIS.

Intellexit Honorius III. quòd Comitissa Flandrensis fecerit provisiones de beneficijs nondum vacantibus, & eorundem

Cc 2

prae-